



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

[Claudio Lalano Sodali Svo I. B. Santolius V.]

Santeul, Jean de

[S.l.], 1670

Sorbona Incensa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13421



SORBONA INCENSA.

QUOD SORBONA scelus potuit committere
tantum,

Sentiat ut tales flammis ultricibus iras?

Vidimus hos nuper, quibus arsit, vidimus ignes,

Et dolor est vidisse, sacri Domus hospita Veri,

Quam neque civiles potuerunt vertere motus,

Bellorumque faces, nec conjurata revellant

Sæcla, improvisos Domus hæc confidit in ignes.

Ergo tot veterum congesta volumina Patrum

Ardebunt impune? tot & monumenta laborum,

Et doctas noctes, vigilataque scripta tot annos,

Auferet una dies? vos ô succurrite Divi,

Effusosque super ruptis de nubibus imbres

Mittite, & audaces nunc nunc compescite flammæ.

Hic res vestra agitur, si vos SORBONA tuetur.

A

Si vestras aras, vestros si servat honores,
Vos tanti obsequii memores servate cadentem.

Sacra, augusta Domus, tot ubi responsa Tonantis
Accipiunt dubiæ mentes, ubi docta Vetustas,
Et Pietas, & Religio, Virtusque, Fidesque,
Nubibus excussis nudum dant cernere Verum;
Et tamen illa Domus rapidis data præda favillis.
Nec tu RICHELI, celsa de nube coruscans,
Solutus qui celeres potuisti extinguere flammæ,
Ipse tuas dextro descendis Numine sedes?
Quid tam lentus abes? an-ne hæc postrema fuisset
Gloria, Regificis quas olim sumptibus Ædes
Fundaisti, simili cura studioque tueri?

Vana queror: ferro nec vincitur improbus undis,
Insolitum furit ignis, & insuperabilis æstus.
Vidi ego, dum late glomerata incendia regnant,
Sorbonicos vidi superato culmine Patres,
Accinctos operi, fontes immittere largos,
Ne sanas rapiant flammæ contagia partes;
Vidi GRANDINUM properantem, urnasque ferentem
Haud æquis humeris, connitentemque MORELLUM.
Tu quoque Sorbonici stat nunc quo gloria cœtus,
COCQUELINE aderas; quæ mens tibi! quis tibi sensus!
Dum magna in tenues ibat SORBONA favillas:

3

Tu strepitus inter, confusæ & murmura turbæ,
Non vanus spectator, at inter talia primus
Hortari socios, paribusque accingier armis.
Et memini quantos pro Relligione labores
Pertuleris. Nova scripta effuderat impius Autor
In certum regni exitium, tectusque cucullo
Vilis adulator Romæ, subvertere leges
Tendebat patrias; rupto ex Acheronte profectus
Impius Alter, A M A D Æ I sub nomine pulcro
Infandas veneres, & turpia facta docebat.
Tu Patriæ & Superûm sacro succensus amore
Proscribis geminos Roma indignante libellos.
Hoc & Relligio, & tua gloria nempe petebat.
Quin & P A R V I P E D E M semi-usto crine sequaces
Urgentem flammam per mille pericula vidi:
Sed frustra; jam ardet P O R C H E R U S, & ardet I A R B A S,
Et tua jam B O L L Æ E, librorum lecta supellex.
Quid faciant? superest miseris spes unica rebus.
Itur in augustum templum: melioribus acti
Consiliis, sacra servatum Numen in arca
Stant circùm trabeati omnes, atque ordine longo,
Effusi in fletus, & tumsi pectora palmis,
Procedunt, Numenque omnes placabile adorant.
Cœlicolum Rector tua-ne in discrimine tanto

A

Everti delubra fines, quas struximus aras
Urbe tibi in media, tibi quas sacravimus Ædes?
Hæc potius templis contingat flamma prophanis.
Quod si nostra gravem debent tibi crimina pœnam,
Adsumus; & quamcunque indixeris arbiter æquus,
Et vigiles curas, & longæ insomnia noctis,
Pauperiemque, famemque, tui nos sponte feremus:
Sed Templo jam parce tuo, & nil tale merenti.

Vix ea, cùm lustrare facram tanto Hospite Sedem,
Præsentemque Deum iratis opponere flammis;
Sensit flamma Deum, penitusque extincta resedit,

